

gotio, in cubiculo omnino clauso ne maneat, neque plus quam par est et res exigit maneat, sed cum dimidia aperta ianua sit, ac nimis prope ipsam sponsam ne sedeat; amphibologias vero ac facetias omnes, coeteraque minus decentia numquam satis devitabit: totum, enim, mundum in maligno positum esse, pro certo ipse habeat. De omnimoda, igitur, subiectione praestanda marito, de cum eo concordia servanda ne sileat Parochus, ac, uno verbo, adeo Pastor eam adhortetur ut illa mulieri tributam forti laudem mereatur¹. — Sponso vero ne suum in sponsam summum omnino ius mordicus exercere velit, ut eam in omnibus solerter vigilet, regat ac, cum omni caritate opportunitateque emendet suadeat. — Utrisque, tandem, gravissimas quae ex matrimonio i statu obligationes habentur, praesertim si eis sobolem concedendo Deus eorum familiam benedicere ac laetare dignetur, ipsis recolat, et numerosam coronam filiorum, bonorum Parentum gaudium ac honorem esse², ipsis meminerit. Oh! quam felix aestimanda paroecia in qua haec omnia [in quantum fieri potest] adeo a fidelibus servantur, ut christianae revera familiae complurimae inibi habeantur! Haec genuina boni Pastoris gloria est, ad quam, tum sibi, tum Ecclesiae aucupandam, nil fecisse satis estimandum est.

380. — Et de aliorum in matrimonio consensu dicendum super est, in quo tres casus, nimirum, consensus Parentum, legum civilium ac Parochi, recolendi sunt. Igitur:

a) Quoad Parentum consensum, postquam eorum opinionem qui *matrimonia a filiis familias sine consensu Parentum contracta irrita esse* putant SS. Tridentina Synodus anathemate perculserit³, nihilominus *Sanctam Dei Ecclesiam, ex iustissimis de causis, illa semper detestata habuisse atque prohibita*⁴ solemniter affirmat. Qua de re filios familias, parentibus rationabiliter invitatis, huic sacramento accedere sine culpa non posse, communis DD. sententia est. Quamvis vero SS. Tridentina Synodus de *rationabilibus* causis quae ad hanc denegandam veniam Parentes suadent agat, attamen cum hac in re a Parocho diiudicari satis salebrosum sit, huiusmodi matrimoniis temere adistere, quaecumque demum filiorum aetas sit, vix absque culpa ipse potest. Ne dicam de periculo adversus leges civiles peccandi, quae, quibusdam in Gentibus, severissima in re decernunt.

b) Plurimas apud Gentes quibusdam Status coetibus cooperato- rum [*impiegati, Beamter, employés*] antequam quamdam pecuniae vim

¹ Cfr. *Prov.* XXI, 13.

² Cfr. *Id.* XVII, 6.

³ Sess. XXIV, c. 1. *De Reform. Matrim.*

⁴ *Id.* *Ibid.*

ex stipendio habeant, certosque in burocratica hierarchia gradus assequuti sint, matrimonium inire adeo vetatur ut, quamvis hi religiosi tantum matrimonii vinculo adstringantur, attamen uti concubinari a Statu habeantur et eorum prolis apud ipsum legitima non censeatur; quin immo et poenis, interdum, gravissimis contrahentes mulctantur. Quamvis de huius legis iustitia plurimum ambigendum sit, attamen hisce in adiunctis plena periculi Parochi conditio est, ad quam rite obviandam, Ordinarii consensum expostulare omnino opportunum videtur. Circumstantias, igitur, attente perpendat Pastor, consilium ab Episcopo exquirat, et in omnibus his coeterisque adiunctis ita se gerat, ut quantum divina humanaque lex sinit, tricas prudenter declinet. Regis pacis cum sit minister, pacem in omnia et cum omnibus, in quantum licet, servet, quo tantum pastorale suum ministerium, in tempore ac in aeternitate uberrimos fructus producet!

c) Parochi consensus [si ita loqui fas est] totus in eo continetur ut *eorum matrimoniis haud intersit quos noverit aut nolle ut matrimonium illico actus civilis subsequatur, aut in iis adiunctis versari in quibus id praestare non possint*¹. Eaedem eruuntur ex Instruct. S. Poenitentiariae Episcopo data² ad quem Parochus recurrere tenetur. Quam legem [a SS. D. N. sua in Venet. Synodo statutam], qui quanta ex eius omissione, tum parentibus, tum [et praesertim filiis] detrimenta habeantur norunt, sapienter prudenterque latam dicent. Cum, enim, [ut plurimum] matrimonii sacramentum a civili contractu disiunctum, ad legis civilis assequendos effectus Status haud cognoscat, consequentias quae ex huius postremi omissione habentur facile quis comperiet. Antequam, igitur, matrimonio suam praestare operam Parochus polliceatur, ut nupturientes immediate post Sacramenti celebrationem, coram civili magistratu sistant ut civilem contractum peragant, serio promittant, curabit Pastor. — Attamen, iuxta S. Poenitentiariae statuta [ut eadem in Veneta Synodo memoratum invenimus] *parochis non liceat tradere municipiis, praetoribus, regiis procuratoribus aut cuivis magistratui, nomina ex libro canonico matrimoniorum excerpta, qui coram Ecclesiam tantum iniverint*³. Si vero [ut interdum quaedam] evenit de matrimoniorum celebratione computatio publica a Potestate civili iubeatur, antequam Ordinarii instructiones accedant, nil agatur. Hisce, enim, omnibus haud caece fidendum esse, quotidiana [at numquam satis lugenda] experientia amplissime docet.

¹ Synod. Venet. a. 1898, Par. IV, Cap. 8.

² 11 mart. 1891.

³ *Loc. cit.*

381. — His praehabitis, ut una cum duobus fide dignis testibus Curiae Officiali bene cognitis, vel alia ipsi bene cognita persona eos comitante quae [sub sacri iuramenti fide] sponso a pubertate usque ad praesentem diem bene cognovisse, ac de eorum omnimoda libertate testari possit, Episcopalem Curiam nupturientes adeant, jubebit Parochus. Hi vero testes quaestionibus omnibus ab Officiali, sub forma a decret. Clementis X statuta nupturientibus proponendis, sub eadem sacri iuramenti fide, iuxta veritatem respondere tenentur, et si omnia bene cesserint, sponso *status liber* conficitur, quo praehabito ad bannorum proclamationem deveniri potest.

§ VI — De Bannis.

SUMMAE RERUM. — 382. Quae in re sacri jubeant canones. — 383. Eorundem practicum commentarium. — 384. De quibusdam harum proclamationum consequentiis, et quomodo in re Pastor se habere debeat. — 385. Quae circa denunciations praestanda. — 386. De casu perplexo.

382. — Quoad bannorum proclamationem, per quam uni ex praecipuis difficultatibus in tanti sacramenti celebratione occurrentibus, clandestinitatis nempe vitio consulitur, plura animadvertenda veniunt, quae, perspicuitatis causa per partes distinguimus: sed in primis et ante omnia sacri praecedant canones¹:

I. Antequam contrahatur matrimonium, publica ejus denuntiatio² [proclamatio bannorum] fieri debet a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis festis diebus, intra Missarum solemnias³, ut detegantur, si quae existant, impedimenta.

II. Ex Episcopi venia, aut gravi urgente necessitate, fieri possunt denuntiationes extra Missarum solemnias dierum festivarum, aut diebus etiam festis non de praeepto, dummodo adhuc frequens populi concursus habeatur⁴.

III. Proclamationes bannorum fieri debent: a) regulariter in ecclesia parochiali, b) in propria contrahentium parochia et quidem, de jure, c) in unaquaque parochia, si sponsi ad diversas parochias pertineant, aut in diversis locis plura simul domicilia, vel domicilium et quasi-domicilium habeant; nec licet Parocho celebrare matrimonium, nisi prius de denuntiationibus factis in alio debito loco, et de carentia impedimentorum attestationem acceperit⁵.

IV. In derelicto anteriori domicilio vel quasidomicilio non requiritur, de rigore juris publicatio matrimonii, sed in loco tantum actualis domicilii aut quasi-

¹ Cfr. Deshayes et DD. cit.

² Cfr. DD. ad tit. *De clandestin. desp.* X, IV, 3 vel. ad tit. *Qui matr. accus. possint.* X, IV, 18 et *Moralistas.*

³ Trid. XXIV, 1: *Rit. Rom.* § 8.

⁴ S. Alph. V. 991, 992; Lehmkuh. II, 674.

⁵ Cfr. documentum XXVIII ad vol. cacl.

domicilii, servata fortasse obligatione instituendi investigationem « de statu libero » in praecedentibus domiciliis. — Si in actuali domicilio sponsus breviori tempore fuerit commoratus, non sunt ibi omittendae denuntiationes, quas tamen oportet fieri etiam in priori domicilio¹. — In his omnibus servet Parochus statuta vel usum dioecesis, aut consulat Ordinarium.

V. In loco originis expedit etiam fieri publicationes si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem pubertatis, atque insuper in locis ubi saltem per decem menses habitaverint, nisi jam a pluribus [decem] annis domicilium fixerint in loco ubi matrimonium est contrahendum².

VI. Si contigerit, ex consuetudine aut Episcoporum statutis, non fieri publicationes in domiciliis anterioribus, ubi revera stricta lege communi non requiruntur, saltem pleno suo jure Parochus poterit a praecedentibus sponso Parochis scriptam attestationem « de statu libero » exquirere, quod ex jure piano et debet³.

VII. Matrimonia *vagorum* proprie dictorum, incertam omnino sedem in variis locis quaerentium, proclamanda sunt in parochia quam actu incolunt; praeterea, requiri solent etiam publicationes in loco originis, aut in parochia ubi diutius habitaverint. — Insuper stricte pro ipsis exigitur inquisitio de statu libero, et licentia Ordinarii loci⁴ quo sunt contracturi.

VIII. Milites⁵ proclamandi sunt in loco ubi sunt in praesidiis, et insuper in loco ubi residebant ante susceptam militiam.

IX. Famuli, studentes, aliive, transitorii officii causa, degentes, in loco ultra sex menses, et domicilium simul retinentes in altero, in utroque debent proclamari.

X. Minorem aetatem nondum egressi, ex consuetudine, multis Episcoporum statutis firmata, non solum in actuali domicilio, sed etiam in parentum domicilio proclamantur.

XI. Lex Tridentina non urget: a) in articulo mortis, b) si matrimonii celebratio differi nequeat absque gravi incommodo, nec tempus adsit petendae dispensationis⁶, c) in casu disparitatis cultus, etiam perfectae, etiam obtenta dispensatione impedimenti⁷, d) in matrimoniis Principum⁸.

XII. Omissio proclamationum non obstat validitati matrimonii, sed: a) delinquens Parochus subjacet suspensioni [ferendae sententiae] a qua solus Papa, infra tres annos, absolvit⁹, b) delinquentes ambo simul conjuges, praeter sublatam de jure spem obtinendae dispensationis si quod exstiterit impedimentum amittunt privilegia « matrimonii putativi », et filii reputantur illegitimi¹⁰.

383. — Hisce praemissis, quaedam pastoralia monimenta sequantur, nimirum:

a) *Antequam matrimonium contrahatur a proprio contrahentium Parocho*¹¹ bannorum proclamationes locum habeant. Igitur, si nuptu-

¹ S. C. C. 29 jun. 1684.

² S. C. Inquisit. 29 august. 1890. — Cfr. documentum XXVIII ad vol.

³ Cfr. decret. *Ne temere* ad V; S. C. Sacram. VI mart. 1911, pag. 440 cit.

⁴ Trid. XXIV, 7.

⁵ Lehmkuhl, II, 674.

⁶ S. Alph. VI, 991.

⁷ Gasparri, 154.

⁸ Scavini, III, 1897.

⁹ Benedict. XIV, *Synod.* I. XII c. 6, n. 2.

¹⁰ Trid. XXIV, 5.

¹¹ Concil. Lateranens., IV. Cap. *De clandestin. desponsat.* — Cfr. *Urbis Statut.*, 11 jan. 1762.

rientes ex diversa paroecia sint, in utraque proclamationes fieri debent; si pluribus in locis domicilium vel quasi-domicilium ipsi habuerint, in omnibus faciendae sunt; tandem, etiam, in paroecia unde ultimo transmigrarunt, dummodo in ipsa diutius commorati sint et in actualem paroeciam recenter transmigravere, similiter praestandum. Sed de re Doctorum fusius dicere est.

b) Proclamationes bannorum *ter fieri debent*¹, dummodo, gravi de causa hunc numerum pro una vel etiam altera, vel etiam pro omnibus Ordinarius dispensetur. De causa in re requisita, quae gravis, urgens, ac urgentissima² esse debet, decernere Episcopi tantum est, et de huius dispensationis facilitate haud illudendi fideles sunt; neque de Ordinarii in re difficultate queratur Pastor. In re canones:

I. Ordinarius [Episcopus, Vicarius generalis, Vic. capitularis] potest justa de causa a denuntiationibus matrimonii dispensare; rem totam in hac materia Tridentinum prudenti ejus arbitrio remittit.

II. Sufficit dispensatio concessa ab uno Ordinario, si alter contrahens ad aliam dioecesim pertineat; sed debet ipse etiam alter Ordinarius fidem facere de statu libero sui subditi.

III. Causae dispensandi potiores sunt: — 1) si dilatio matrimonii grave secum ferat periculum damni spiritualis vel temporalis, — 2) si praevideatur matrimonium ex malitia posse impediri, — 3) probabilis timor ne una pars discedat cum aliquo gravi alterius praejudicio, — 4) instantia temporis vetiti, — 5) si periculum imminet infamiae, aut scandali, — 6) si gravis praevideatur erubescencia publica contrahentium, — 7) mala voluntas sponsi recusantis post « matrimonium civile » fieri denuntiationes in Ecclesia, — 8) qualitas aut notorietas personarum, — 9) aliae etiam generatim id genus causae juxta prudens arbitrium Episcopi.

c) Bannorum proclamationes *diebus festivis continuis*³ fieri debent, quae continuitas, tamen, ita intelligenda est ut *alios dies festos, praesertim dominicos, inter unam alteramque proclamationem non intercedant, seu ut inter unam alteramque proclamationem nullus dies festus praetermittatur*⁴. Sed probatissimi A. aliter sentiunt, quum dicant *praefati dies festi pro matrimonialibus denuntiationibus non debent sibi immediate succedere..., sed inter unam et alteram denuntiationem, unus saltem vel duos dies interponi debent, ut populus sufficiens habeat opportunitatem proponendi aut impedimenta detegendi tempus, qui est finis legis*⁵. Postremae huic sententiae, nisi praxis communis refragetur, ut solidiori standum est.

¹ Concil. Lateranens. *loc. cit.* — Cfr. S. C. C. in *Brunen.* 17 jul. 1780, in *Tudert.*, 19 april. 1823.

² Cfr. Benedict. XIV, C. *Satis nobis* 17 nov. 1741; Eiusd. *Nimiam licentiam* 18 maj. 1743, paradygm. XXIX, ad voluminis calc.

³ Concil. Lateranens. *loc. cit.* — Cfr. Pius IV, *ad Subalpin.*, 7 april. 1862; S. C. C. in *Brunen.* cit.

⁴ Vecchiotti, *Instit. Can.*, V, XI, 71 — Cfr. Lehmkühl, II, 673.

⁵ Ferrari, voc. *Denunt. matrim.*, n. 13.

d) In *ecclesia paroeciali*¹ hae proclamationes fieri debent, quod adeo intelligendum est ut si et in alia paroeciae Ecclesia, ubi ea die magnus populi concursus haberetur, fierent, Parochus non esset inquietandus, cum decreto tridentino ut in paroecia fiant non contraeat. Immo et extra Ecclesiam si ob ingentem populi concursum aut loci angustiis intra ipsam contineri fideles non possunt, licite ac valide hae proclamationes haberi possunt².

e) *Inter missarum solemnium* denuntiationes habendae sunt, quod tamen ita intelligendum est ut si in alia missa vel sacra functione etiam post meridiem magnus populi concursus habeatur, fieri tunc quoque possint. — Pestis vel epidemiae tempore [si Episcopus haud dispensaverit] per publicum edictum Paroeciali Ecclesiae januae affixum, proclamationes haberi possunt.

f) Huius denuntiationis formula determinata non est; quare ex *Rituali*³, vel ex peculiari consuetudine desumenda est. Attamen, accurate contrahentium nomen, cognomen, patria, paroecia, dioecesis, eorum pater et, si de viduis agatur, etiam coniugis demortui nomen ac cognomen necnon dies, mensis, et annus obitus eius, et quota sit denuntiatio exprimendum est. Quod si in una vel altera dispensatum fuerit, hoc idem annuntiandum est, monendo illam proclamationem ex gr. loco primae vel secundae esse, scilicet, ut qui dignoscunt impedimentum citius illud detegant, de qua obligatione in formula dicendum quoque est.

g) A quo proclamationes bannorum faciendae sint, sive per se, sive per alium hoc praestare Parochus potest. Attamen, ne erroribus locum sit, omnia in proclamationum formula contenta, nitidissimo characterem in libello [non in schedula separata] ad hoc expresse exarando, et intelligibili voce ac vulgari idiomate proclamanda sunt.

384. — Quoad bannorum consequentias:

I) Ex Parochi parte harum proclamationum obligatio adeo gravis est, ut si quis culpabiliter eas omittat, suspensione ab officio per triennium S. Pontifici reservata, vel graviori quoque poena mulctetur⁴.

II) Ex sponsorum vero parte, condigna poena plectendi sunt⁵, et si matrimonium ab ipsis contractum, ob aliquod impedimentum

¹ Concil. Lateran. cit. — Cfr. Benedict. XIV, *Paucis abhinc*; S. C. C., 3 april. 1773, 9 maj. 1719.

² S. C. C. in *Lunen. Sarzan.* 20 sept. 1828.

³ In titulo ad XIII.

⁴ Cap. 3 *De clandestin. desponsat.*, X, IV, I — Cfr. Benedict. XIV, *Synod. dioec.*, lib. XII, c. 6, n. 2; Fejje, *De impedim. et dispens. matrim.*, n. 263.

⁵ Benedict. XIV, *loc. cit.* c. 5, n. 4; S. C. C. 17 febr. 1629.

nullum sit [etiamsi ambo ignoraverint], suscepta prolis in foro ecclesiastico illegitima erit ¹. Quod postremum, tamen, tunc tantum probabilius habetur, quum saltem unus e contrahentibus in mala fide fuerit, quae in foro externo praesumitur. Si vero in foro interno bona fides in utroque fuerit, et si probari possit etiam in foro externo, prolem legitimam habendam esse, cum Suarez, plurimi docent ².

III) Et testes matrimonio cui banna praemissa non fuerint, assistentes, ab Ordinario, ad eius arbitrium, puniri possunt ³.

IV Tandem, ex fidelium parte impedimentorum denuntiatio gravis obligatio est et quamprimum implenda, a qua tamen excusant: a) grave damnum, b) necessitas servandi secretum confessionis, consilii, professionale [non ita de secreto mere naturali], c) inutilitas certa revelationis.

d) Nisi aliud Episcopo videatur, si matrimonium intra duos menses non contrahatur, banna reiteranda sunt ⁴; statim vero post ultimam proclamationem eadem die matrimonium inire, conveniens haud censetur.

385. — Sed si, ex horum bannorum proclamationibus impedimentum aliquod dignoscatur, qua ratione a Pastore utendum est? Respondemus. Denuntiantem ac denuntiationes comiter excipiat Parochus, argumenta confirmantia ab eo, meliori qua fieri potest ratione, exquirat, ac [si opus est] in falsos denunciantes canonicas poenas ei recolat. Sed, quum de re iudicare Episcopi tantum sit, ab ullo, tum cum denunciante, tum cum semetipso proferendo iudicio absteineat. Si vero bannorum proclamationes iam coeptae sint, de eo quod agendum ex lege nil statutum invenimus; sed, nisi de impedimento apertissime constet, publicationes continuari debent, et interim res omnis ad Episcopum deferatur cuius prudentiae quid agendum sit decernere est. Ordinarii tantum consilio praehabito, ad matrimonii celebrationem procedi potest, et si nupturientes de dilatione conquerantur, ad episcopalem Curiam remittantur, ubi, liberius quam a Parocho, de rerum veritate edocebuntur.

386. — Tandem et de casu perplexo dicendum quoque, quae ratio nimirum, a Parocho adhibenda sit quando, dum omnia ad nuptias adeo fam parata sunt ut sine scandalo aut gravibus incommodis ulterius differri non possint, simulque timendum sit ne matrimonium civile tantum

¹ S. C. C., 6 jul. 1726. — Cfr. Eand. 17 febr. 1629; Id. 16 jan. 1690.

² De Censuris, lib. I, n. 10. — Cfr. Gasparri, De Matrim. I, 24; D'Annibale, I, 56 [63].

³ Sanchez, De Matrim., l. III, d. 46, n. 8.

⁴ Ritual. Rom, De Matr., 5, n. 11.

sponsi ineant, aliquod detegatur impedimentum. Qua in re distinctione opus est:

a) Si impedimentum ex sponsi, vel sponsae confessione Parochus resciverit, in foro externo omnino illud ignoret, et tanquam confessarius agat. Si extra confessionem, illud cognoverit, nisi certo de eo constiterit, nunc quidem dissimulet, sponso in bona fide relinquat, et ad Episcopum statim recurat.

b) Si impedimentum omnino certum sit, iterum distinguendum, nimirum:

I. Si sive sua ex natura, sive facto, publicum, nimirum, quod per duos testes probari possit, iam sit, ac, nec telegraphice aut telephonice quidem [quod in extremae tantum necessitatis causa faciendum ¹] ab Episcopo dispensatio expeti possit, ut sponsi a proposito ad tempus desistant, etsi inde aliquid incommodi vel infamiae ipsis obveniat, donec dispensatio a superiore ecclesiastico expetita ac impetrata fuerit, eos suadeat. Quando vero, quum maxima ignominiam aut incommodum magnum inde passuri sint, desistere haud possint vel nolint, et ne civile tantum matrimonium ineant, ac Parochi adsistentiam postea repudient timendum est, tunc, nisi impedimentum sit tale in quo S. Pontifex dispensare non solet, Parochus dissimulet, in bona fide sponso relinquat et quam citissime casum ad Ordinarium deferat.

II) Si, e contrario, impedimentum adeo sit occultum [si sex, nimirum, personis in oppido, octo aut decem in civitate notum sit] et neque in foro externo probari possit, sponso, si forte neuter eorum impedimenti sit conscius, in bona fide Parochus relinquat, et pro remedio statim ad Ordinarium recurat. In re:

1. Si impedimentum uni parti notum est, et absque infamia revelari alteri queat, ut sponsi contrahant sub conditione impetrandi ab Episcopo dispensationem et, interdum, a consummatione matrimonii absteineant, uterque admonendi sunt.

2. Si impedimentum ex unius parte tantum teneat qui suam turpitudinem revelare nec potest nec vult, [ac proinde nuptiae impediri vel differri, pro foro externo, nequeunt] Parochus adeo in re dispensare posse ut valide ac licite matrimonium contrahatur communis sententia fert, dummodo, pro ecclesiasticae legis debita reverentia et ad alios matrimonii validi effectus, statim ab Ordinario dispensatio requiratur.

¹ S. Congr. de Sacramentis, 4 maj 1909.

§ VII. — De consueta matrimonii celebratione eiusque adjunctis.

SUMMAE RERUM. — 387. Huius celebrationis essentia in quo contineatur. — 388. Eiusdem locus. — 389. Tempus quale. — 390. De matrimonii testibus. — 391. Ritus qualis. — 392. De ad sponso concione. — 393. De huius celebrationis ex nuperrimo jure piano inscriptione et Parochi baptismi admonitione. — 394. De matrimoniorum symposiis.

387. — Hisce prae habitis [quae tantum ad Pastoris munus spectant praelibavimus], ad sacramenti celebrationem Parochus accedat, in qua sequentia prae oculis habeat:

I. Huius sacramenti celebrationis essentia in eo continetur ut, proprio coram Parocho, vel ab eo expresse sacerdote delegato interrogante, tum in ecclesia, tum extra ipsam sed intra limites dumtaxat sui territorii¹, duobus saltem [sub nullitatis poena] adstantibus testibus, suum mutuum contrahendi consensum, verbis ac signis externis exprimendum, sponsi manifestent. Nuperrimae in re habentur praescriptiones:

a) In memoria redigatur Parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio nisi constituto sibi legitime de libero contrahentium statu, ac servatis de jure servandis², iidemque praesertim moneantur ne omittant baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hoc sacramentum alia in paroecia fuerit collatum³;

b) In quolibet casu, nisi aliqua justa causa excuset, pro regula habeatur, ut matrimonio coram sponsae Parocho celebretur⁴.

388. — Quoad locum ubi, communibus in adjunctis, celebrandum sit matrimonium:

Matrimonium celebrari debet publice, in ecclesia⁵, quovis tempore, etiam feriato⁶ [vel interdicti], et regulariter cum observatione omnium caeremoniarum *Ritualis romani*, vel etiam earum quae in dioecesi particulari legitime sunt praescriptae.

389. — Quoad celebrationis matrimonii tempus:

Illud est determinatum quo durante non licet celebrare solemnes nuptias, videlicet, ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque ad octavam Paschae inclusive⁷. Consulantur tamen locorum consuetudines et statuta. Obtenta dispensatione super hoc impedimento, privatim, sine Missa et benedictione, nuptiae debent celebrari.

390. — Quoad matrimonii testes sacri edicunt canones:

I. Praeter Parochum, duo saltem testes⁸ necessario debent sub poena nullitatis assistere matrimonio⁹.

II. Testes quilibet¹⁰ possunt adhiberi, dummodo sint de iure naturali ad testificandum idonei; ita, etiam mulieres, pueri [sufficientis advertentiae capaces], parentes,

¹ Decret. *Ne temere*, § 2, n. 4.

² Id. Ibid. § 2, n. 5.

³ S. C. Sacr. 6 mart 1911.

⁴ Decret. *Ne temere* V. § 5.

⁵ *Rit. Rom.* in praenotat. 4, 5, 15.

⁶ Id. Ibid.

⁷ Trid. XXIV, 10.

⁸ Id. Ibid, I.

⁹ Cfr. decret. *Ne temere*, cit. ad III.

¹⁰ S. Alph. V, 1086.

famuli, infideles, infames, casu transeuntes, aut etiam per vim, vel metum ad assistentiam coacti.

III. De modo assistentiae¹ simultaneae² testium, quae non materialis solum, sed formalis et moralis esse debet, idem omnino iura statuunt ac de ipsius assistentia Parochi.

391. — Quoad ritus servandos:

I. « Hortandi »³ sunt sponsi ut benedictionem nuptialem recipiant, quae hodie quodcumque dari potest, etiam postquam diu in matrimonio vixerint⁴. Datur solum in Missa, a solo Parocho proprio, in proprio ejus territorio⁵. Semel data [seu viro, seu mulieri] iterum in secundis nuptiis dari non potest⁶. — Prohibetur tempore interdicti vel feriato⁷. — Ut confessionem sponsi matrimonio praemitant, etsi in lethali versentur, cogi non possunt⁸. — Benedictiones nuptiales extra missam haud impertiri possunt⁹.

II. Missa votiva « pro sponso et sponsa » non dicitur diebus dominicis et festis de praepcepto duplicibus 1 et 2 classis. His diebus, si debeant celebrari nuptiae, legitur Missa de festo occurrente cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa¹⁰; quae omni tempore clauso prohibentur. Coetera quoad nuperrimum jus in re spectantia cfr. documentum XI ad voluminis calcem. — Numquam annuli benedictio praetermittatur.

III. Parochus in Ecclesia, superpelliceo et stola alba indutus, adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu matrimoniali interroget utrumque singillatim in vulgari sermone. In primis sponsus rogandus est, qui si sacerdoti interroganti respondeat *Volo*, deinde de eodem consensu et sponsa sciscitanda. Nec sufficit unius, sed debet esse amborum et expressum aliquo signo sensibili. Mutuo, igitur, contrahentium consensu intellecto, sacerdos iubeat eos invicem iungere dextras, dum illa verba [acti iam sacramenti vim indicantia] pronuntiat: *Ego coniungo vos in matrimonium. In nomine Patris ☩, Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

IV. Postea eos aspergat aqua benedicta, et mox [formula in Rituali Romano contenta] benedicat anulum. Deinde eum aspergat aqua benedicta in modum crucis, *Ritualis Romani* formula utendo, et sponsus acceptum anulum de manu sacerdotis, imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae.

V. His expletis si benedicendae sint nuptiae, Parochus missam pro sponso et sponsa, ut in *Missali Romano* celebret, servatis omnibus quae ibi praescribuntur.

VI. Ceterum si aliquae provinciae aliis ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando matrimonii sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri¹¹.

392. — Has inter consuetudines, ad sponso sermocinatio locum obtinet in qua, potiusquam in nupturientium stirpium laudatione ac eorum adu-

¹ Gasparri, 954: Lehmkühl, II, 779.

² S. C. P. F. 2 jul. 1827.

³ Trid. XXIV, I; S. R. C., 1 sept. 1838;

S. Alph. VI, 984.

⁴ S. R. C., 23 jun. 1853, 31 jul. 1867.

⁵ Trid. XXIX, 1.

⁶ C. c. I, 3, *De secundis nupt.*, X, IV, 21.

⁷ *Rit. Rom.*, § 17.

⁸ Gasparri, 121 et seq.

⁹ S. R. C. 12 febr. 1909.

¹⁰ Eamd. 7 jan 1781, 20 dec. 1783.

¹¹ *Rit. Roman.*, loc. cit.